Ænium christianorum et non aliorum defunctorum cadauera ecclesiastice (nisi iure: aut locorum rationabili consuetudine prohibeantur) tradenda sunt sepulture. Jure autem prohibentur qui ex propria malicia: malicioseqz industria: desperatione vel etiam iracundia ducti. laqueo. gladio. igne. aqua. precipitio: aut alio genere mortis sponte se interimunt. Item pariter prohibentur: qui torneamenta sponte exercendo in ipo et ex ipo exercitio moriuntur. Aut ibidem etiaz letale vulnus: vnde mors secuta sit acceperunt. Itez prohibentur omnes et singuli dampnati et pertinaces hereticí: manifestiqz ac contumaces vsurarii. necnon quicuiqz alii siue a iure siue ab homine (ministerio tamen & sententia iudicis) nominatim excommunicati: vel etiaz excommunicationis sententiam a iure vel ab homine latam incurrisse declarati: etiam si tales excommunicati et declarati in mortis articulo penituerint et absolui petierint: absolutiqz in foro conscientie: & non in foro iudicia si extiterint. Veruntamen si et post debite & humiliter petitam per eos duz adhuc viuunt: licet in lecto mortis existentes et morti proximi absolutionem huiusmodi in foro iudiciali: fuerint eam a iudice ad hoc potestatem habente (etiam post eorum mortē) assecuti: tunc de hoc litteratorie constito: sacra potest eisdem exhiberi sepultura.

Item prohibentur qui non recepto saltem semel in anno iuxta superius insertum et annotatuz statuti generalis ecclesie consilii tenorem penitentie seu etiam eucharistie sacramento decesserint: nisi eos in mortis articulo penituisse & se a reatu huiusmodi absolui humiliter petiisse

constiterit. Preterea de consuetudine certis et ratio-
nabilibus causis ab antiquo introducta in nostraq3 dio-
cesi hactenus obseruata prohibetur parrochialibus pres-
biteris ne illorum cadauera defunctorum qui annos di-
scretionis attinentes: nulla suorum peccatorum sacrame-
tali confessione die eorum mortis vel pauloante scilicet
a paucis anteactis diebus facta. Aut etiam potestatem
disponendi de suis bonis et rebus: facultatemq3 eligen-
di sepulturam habentes (nullo condito testamento) de-
cesserint: tradere presumant ecclesiastice sepulture: donec
citius et certius q̄ poterint litteratorie: aut per certuz nū
cium: nos vel officialem nostrum super causis omissio-
nis huiusmodi testamenti et confessionis informauerit
ac per directas eis a nobis vel dicto officiali nostro litte-
ras quid inde per eos circa huiusmodi sepulturam agen-
dum sit facti fuerint certiores. Nos vero episcopus pre
fatus pretactas omnes et singulas prohibitiones iustas
rationabiles: de iureq3: ac iuri consonas fore et esse atten
dentes: eas in nostra predicta meldensi diocesi inconcusse
obseruari iubemus. Contraq3 fieri in futurum sub pe-
na excommunicationis districte inhibemus. Et insuper
omnes et singulos qui eis spretis contra easdem fecerint
ac de facto venire: facientibusq3 ac venientibus consiliū
auxilium vel fauorem prestare presumpserint: penas et
cēsuras a iure in tales generaliter promulgatas: eynūc
prout eytunc et eytunc prout eynunc incurrere seu etiaz
incurrisse generaliter declaramus.

Tertia pars synodalium constitutionum: de his que potius et vtrobiq3 populum respiciunt.

Primo De non recipiendo alienos parrochianos

aut etiaz eis sine dimissoriis ecclesiastica sacramenta mi nistrando. Necnoy de dandis vel non huiusmodi dimis soriis.

Mbibemus omnibus ⁊ singulis parrochialibus presbiteris ne alienos parrochianos nostre aut eti am aliene dioceseis recipiant in suos vel admittant: seu etiam eis ecclesiastica sacramenta (casu necessitatis ex cepto) ministrent: absqz nostris seu nostrorum vicariorum licentia atqz mandato. vel etiam expresso consensu: aut litteris dimissoriis epi dioceseis: seu rectoris ecclesie parro chialis cuius dioceseani seu parrochiani existunt aut an tea ⁊ nouissime extiterint. Neqz itez presbiteri suis par rochianis non excōmunicatis ad alias parrochias tran sire vel ad longinquas partes peregrinari et pficisci vo lentibus litteraſqz dimissorias ab ipsis p̄sbiteris p hmōi vel etiā q̄busuis aliis rōnabilibus causis habere et sibi tradi petētibz easdē dimissorias denegent. nec vltra som mam duorum solidorum turonen̄ pro confectione et sigil lo earumdez exigere presumant. Excommunicatis aūt litteras dimissorias huiusmodi nullomodo concedant dic cti presbiteri (nisi iidez excommunicati tunc fuerint vsqz ad aliquez nondum elapsum terminuz relaxati) quo ca su dicti presbiteri eisdem relaxatis dimissorias concedere non recusent in quibus tamen de excommunicatione et relaxatione huiusmodi expressa mētio habeatur. Quas quidem dimissorias litteras sub infrascriptis formis vel in effectu similibus (mutatis mutandis) per dictos pres biteros fieri volumus atqz iubemus.

Forma litterarum dimissoriarum pro viro soluto parrochiano non excommunicato ad aliam parrochialē ecclesiam transire volente. Quequidem forma in simili casu: pro muliere soluta non excommunicata. necnoy p

quibusuis duobus non excommunicatis cõiugib⁹ simul seu etiam qui sponsalia adinuicez contraxerint vel pro quolibet eoꝝdẽ separatiz (mutatis nominib⁹ ⁊ huiusmodi qualitatibus psonaꝝ aliisqz mutandis) regulariter est sequenda. Et similiter de singulis infrascriptis formis respectiue dicendum est atqz tenendum. Qualitates autem personarum sic exprimi debent. videlicet vbi in dicta sequenti: et prima forma ponitur hec dictio solutuz. Si sit pro muliere non coniugata debet poni sic. solutam Si pro ambobus coniugibus simul sic. Galterum martiꝝ: et bertam eius vxorem. Si separatim pro viro sic. Galterum martiꝝ coniugatum. Si pro vxore sic. Bertam vxorem galtheri martiꝝ. Si pro ambobus sponsis simul sic. Galtherum martiꝝ: et bertam filiam vel relictam. N. qui sponsalia in facie ecclesie adinuicem contraxerunt. Si autem separatim pro sponso sic. Galtherum martiꝝ qui cum berta filia. N. sponsauit in facie ecclesie contraxit. Si vero separatim pro sponsa sic. Bertam filiam vel relictam. N. que cum galthero martiꝝ sponsalia in facie ecclesie contraxit presentium latorez vel latricem et cetera.

Nouerint vniuersi. Qꝝ ego. N. presbiter rector parrochialis ecclesie de. N. meldensis diocesis Galtherum martiꝝ solutum presentium latorem meũ nuper prochianũ: nũc aũt ad aliã prochialez ecclãz (vt dicit) trãsire volentem. ac propter hoc a parrochiali subiectione qua mihi et predicte mee eclẽ tenebatur absolut requirentem duxi fore absoluendum: eumqz harum serie et traditione litterarum absoluo. Certificans me nullum in eo canonicum scire impedimentum: quominus debeat ad ecclesiastica sacramenta admitti: necnõ ecclãstice tradi (si

decedat)sepulture. Jn cuius rei testimoniū sigillū dicte mee parrochialis ecclē Vnacū meo manuali signo litteris presentibus apposui. Datum anno domini millesimo et cetera.

Item Si et quando is cui dande sunt dimissorie fuerit aliqua excommunicationis sententia innodatus: et tempore date earūdez sit ab ipa excōmunicatione Vsqz ad aliquez nondū elapsum terminum relaxatus: tunc dimissorie hmōi sub forma sequenti sunt faciende.

Nouerint Vniuersi ꝛc. Vt supra in precedenti forma Vsqz ibi. Certificās ipm galtherum a sententia excōmunicationis in eū ad instantiā. N. lata fuisse ꝛ esse Vsqz ad talem terminū: relaxatum. Nullūqz me in eo aliud canonicū scire impedimentū (quominus debeat ad ecclāstica sacramenta interim admitti: necnon ecclāstice tradi (si decedat) sepulture. Jn cuius rei testimoniū ꝛc. Vt supra in precedenti forma.

Forma litterarum dimissoriarū p parrochiano non excommunicato ad extraneas et longinquas ptes pficisci Volente.

Nouerint Vniuersi. Jo ego. N. presbiter rector' parrochialis ecclesie de. N. meldensis dioceſis licentiam concessi prout ꝛ concedo pariter et facultatem galtero martin presentium latori meo parrochiano in breui (Vt dicit ad extraneas ꝛ longinquas partes ituro ꝛ proficisci Volenti: Vt idem meus parrochianus a die eius discessus Vsqz ad ipsius reditum. quibusuis alienis (quos elegerit) ydoneis pbris sua pctā cōfiteri ab eisqz penitētie ac cetera ecclāstica Valeat recipere sacramēta. Quibusqdē pbi teris: ꝛ aliis christifidelib⁹ omnibus ꝛ singulis: earūdem certifico serie litteratum: q̄ in prefato meo parrochiano

nullum scio canonicum esse impedimentū quominus ad predicta debeat sacramenta admitti:necnon tradi(si decedat)ecclesiastice sepulture In cuius rei testimoniuz ꝛc. Vt supra in prima forma.

Item si ꝛ quando is cui dande sunt dimissorie fuerit aliqua excōmunicationis sententia innodatus ꝛ tēpore date earūdez sit ab ipa excōmunicatione Vsqz ad aliquē nonduz elapsuz terminum relaxatus:tunc dimissorie huiusmodi sub forma sequenti sunt faciende.

Nouerint Vniuersi ꝛc. Vt supra i immediate precedēti forma Vsqz ibi. Quibusdam pbris ꝛ aliis christifidelibus omnibus ꝛ singulis earūdē certifico serie litterarum. Ꝙ p̄ fatus. N. meus parrochianus a sententia excōmunicationis in eū ad instantiā. N. lata:extitit ꝛ est Vsqz ad talem terminum relaxatus. Denqz nullum in eodem meo parrochiano canonicū noui impedimentū. quominus ad predicta debeat admitti ecclāstica sacramenta:necnō tradi(si decedat ecclāstice sepulture. In cuius rei testimoniū ꝛc. Vt supra in prima forma.

De non prohibendo ecclē ingressuz mulieribus post earuz partū. Deqz nichilominus inductū circa hoc cōsuetudinem obseruando. Necnon de notoriis incestib⁹ adulteriis et concubinatibus officiali ¦ Vel promotori meldeñ denunciandis

In Veteri testamento decreuerat lex mulierez que susceptο semine peperisset immūdam esse. Precepitqz eā ab ingressu templi fieri extraneam donec expletis diebus sue purificationis ad ostiuz tabernaculi testimonii Veniens cuz certis tayatis in lege muneribus Vnuz pro nata prole in holocaustū:ꝛ reliquū pro peccato et expiatiōe traderet sacerdoti q̄ ea offerret dño ꝛ oraret pro illa. De Veritate autē euāgelice legis mulier eniya

nec propter puerperiū immunda habeť. neqz ei purificationis dies indicunť:neqz ecclē aditus prohibeť. Lex em illa figuralis erat ⁊ sub vmbra.ista vero luce veritatis illustrata potior esse mōstrať. Nā ⁊ voluptas carnis nō dolor in culpa est. Dez si mulier post emissaz,plez ex hūilitate:deiqz et ecclē reuerentia ac veneratiōe: ab ingressu ipsi⁹ ecclē aliquādiu voluerit abstinere ⁊ abstinuerit:id a iure mīme reprobať sed potiꝰ cōmēdať. Proinde nos subinductū dudū ob honorē sacramēti matrimonii ⁊ vt id prolez esse legitimā manifestet:ī nrā dioceſi hactenꝰ obseruatū cōsuetudinē.qua mulieres q̄ post eaz de legitimo matrimonio partū abstinuerint(vt p̄ferť) euolutis certis diebus ad ecclāz pgētes a prochiali pbrō eū aspsiōe aque exorcizate:introducunť:⁊ ibi panis eisdē porrigiť benedictꝰ. Alias aūt q̄ nō ex legitimo mrīonio:sed de incestuoso vel alias adulterino ac fornicario cōcubitu cōceperūt ⁊ enixe fūt(siue similiter abstinuerīt siue nō) solennitas hmōi iuncturz criminū expectatōez denegať)nō esse iuri dissonam reputantes:eandemqz cōsuetudinē q̄ tū opus ēst approbantes:omnibus ⁊ singulis nobis subditis districte p̄cipiꝰ prochialibꝰ pbris quatinꝰ nulli mulieri post ⁊ ob emissaz prolem(nisi aliud canonicum impedimentū obstiterit)ingressuz ecclē denegantes:sed iuxta supradictā consuetudinē tūc illas duntaxat que de legitimo matrimonio concepерint ⁊ pepererint:ad purificationez cum pretacta solennitate(si fuerint requisiti)in suis recipiant et admittant ecclesiis. Et nichilominus omnes ⁊ singulos vtriusqz sexus(si quos in suis cognouerint parrochiis)notorie incestuosos:adulteros concubinarios: de incestu vel adulterio vel concubinatu publice ⁊ notorie diffamatos:exemplogz vite huiusmodi:ceteris honeste viuentibus scandalum inferentes commoneant salubriter et attente:vt

a talibus desistant. Et insuper id nostro officiali vel promotori causarum officii curie nostre: seu alteri nostrorum christianitatis decanorum ipi presbiteri q̄ citius poterunt studeant nunciare. Alioquin eosdem presbiteros de incuria negligentia ꝛ inobedientia conueniri volumus. confessosq; vel alias de ꝛ super negligentia et inobedientia huiusmodi cōuictos decernimus tanq̄ dictorum criminū et delictorū fautores iudicandos esse ac viderī animarū cura et regimine indignos.

De obseruatione diei dominice ꝛ aliorum festorum.

Dy sine causa canonice voluerunt sanctiones humana secundum temporum varietatem: vartanda esse statuta . Nam quod rite ꝛ rationabiliter aliquo tempore sancitum est: nunc alia subeunte rattonabili causa restringendum: in aliam q; formam mutandum fore videmus . Adeo enim tepuit feruor antique deuotionis et preualuit modernorum impietas q̄ olim ad honorem dei ꝛ hominum salutem statuti solennes precipuiq; dies (quibus cristicole ab opere seruili cessantes liberius et sedulius ad ecclesiam diuina audituri conuenirent: debitumq; deo impenderent famulatum) in tantam irreuerentiam et contemptum deuenere: vt non solum inertes: ac qui desidie. ocio: et ignauie deduntur: dies huiusmodi et ecclesiam ecclesieq; precepta spernant: Verumetiam et hi et auidi negociatores (si quandoq; fortassis ecclesiastice prohibitioni pareant: ab operibus seruilibus metu ecclesiastice censure cessantes) tunc ex bono sumpta mali occasione: plus abstinentes q̄ eisdem operibus incumbentes

plꝰ quoqz hic ꝙ nō festiuis diebꝰ (non sine scādalo) si socor
die vanilocꝙ ⁊ lasciuie non vacent: seduli ad ludos: chore
as: comessationes: tabernas ebrietates: luxurias confluu
unt. Non ecclesias frequentant: non orationibus insistūt
non deum ⁊ sanctos quorum solennia agūtur venerantur ⁊ colunt. sed nefandis eos execrātur blasphemiis: variisqz prouocant ⁊ offendunt celeribus de festīs. Qui si festa hmōi reprehendantur violasse ⁊ prophanasse: plurimi eorūdem necessitatis casum opponunt: alii alias excusationes pretendunt: fereqz omnes se nimia dictorum festorum multitudine pregrauari conquerūtur atqz succlamant. Cuz quibus et multi etiaz peritissimi in mediuz adducentes festa olim eo fuisse preciosa populoqz grata: feruentiori accōmodata deuotioni ꝙ rara essent: nunc autez quia multa: oneri ⁊ tedio videri ac ipa sua numerositate (apud multos) vilescere concludūt. Cui vtiqz argumento satis assentiendum fore videretur: si non plerosqz: aliis etiaz rarissimis ac facilioribus eccl̄e preceptis inobedientes esse constaret. Deruz si premissa non moueāt ad olim facte circa hoc secularium negociorum prohibitionis reuocationem seu restrictionem: hoc vnum saltem vincere potest: ꝙ plus his ꝙ anteactis temporibus sūt quos publicis notissimisqz oppressionibus actos tanta cōstringit paupertas: ꝙ si omnium antea inditorū festorū obseruationi incubuerint ac phibitioni paruerint (quo eis quotidianum otiosa manus substraxerit alimentū) eos cū liberis necesse est aut vite temporalis detrimentum patiperircqz fame aut vero publice mendicitati fieri subiectos. His igitur ducti rationibus et causis nos iohānes ēpiscopus prefatus tempora rebus: resqz tēporibus aptari cupientes: ac tali moderamine super premissis salubriter prouideri quo nimia multitudo festorū indigentibus

noy ſit oneri:neqz tediū generare indeuotis ſeu etiā diſcolis laſciuiendi occaſiōez p̄bere videat: prohibitiōem negociationis in nō ſolennioribus feſtis q̄ manualia ſeu brachioz vulgo appellant̄:in q̄bus vidz ipa phibitio p totā diez ad ea dūtaxat opera et negocia q̄ ſine equis ꝛ carrucis fieri poſſūt ſe extendebat ¶Necnō in illis tribus ſcilicet bt̄i ſanctini btē celinie ꝛ btē katherine feſtis:in q̄b⁹ pie recordationis dñs ludouic⁹ noſter immediat⁹ predeceſſor ab oībus operibus ꝛ negociis ſeruilib⁹ mādauerat abſtinerī cenſuim⁹ toliendū fore penitus ꝛ reuocandā. prout p̄ntis ſerie cōſtitutōis tollim⁹ ac reuocamus. Libez illis ꝛ aliis ſupra expreſſis tribus manualib⁹ feſtis exercitiū quoruūis ſecularium negociorum ꝛ licitorum operū:facultatēq̄z his inſiſtendi ſeu etiā abſtinendi:ſingulorum nrē dioc(incolarum deuotioni ꝛ arbitrio remittentes (feſto ſancti marci euāgeliſte dūtaxat excepto) in quo eos ab oībus ſeruilib⁹ operib⁹ etiā cū equis ꝛ carrucis vſq̄z poſt prochiales miſſas et p̄ceſſionē eadez die fieri cōſuetā prorſus ceſſare volumus atq̄z iubemus. Poſt quaſquidem miſſas ꝛ p̄ceſſionē cuiq̄z liceat ad queuis nō vetita opera ꝛ negocia ſe trāſferre. Ceterum vt deuotorum corda ad dei cultū et venerationez ſctōrum nō coertione ſed ſpūalis p̄mii largitione potius incitent(Nā et libera ſibi nō coacta diligit deus ſeruitia) omnibus ꝛ ſingulis xp̄ifidelibus p̄ntib⁹ ꝛ futuris vere tunc vel ꝑ primū poſt penitentibus ꝛ cōfeſſis:q̄ pretactis diebus et feſtis:ob honorez dei ꝛ reuerentiā ſanctorum q̄ruz natalicia celebrabunt̄ eccl̄am adierit ac in ea miſſam deuote audierint ſingulis diebus hm̄oi q̄bus id fecerint vigintī dies de iniunctis eis penitentiis:de dñi noſtri ieſu xp̄i mia eorūdemq̄z ſanctorum martirum ꝛ interceſſic nib⁹ confiſi miſericorditer relaxamus. Porro dies dñicales ac oīa alia det ꝛ ſctōrum precipua feſta eorūq̄z ſingula ab oī opere

seruili per totam diem(prout ab antiquo debite obseruata et solennizata fuerunt)obseruãda solennizanda ac tota animi deuotione colenda fore et esse decernimus :obseruariq solennizari ac debita Veneratione coli precipimus. Et ne in nostra dioceſi preceptum huiusmodi temerarie infringatur diſtrictius inhibem⁹ Vniuersis ac singulis eiusdem nostre dioceſis mãdantes et iniungentes parrochialibus presbiteris quatinus premissa omnia in suis ecclesiis studeant diligenter publicare.

Precipuor aũt et aliorum non precipuorum Vulgo quondam brachiorum et manualium:nunc Vero deuotionis seu ad deuotionem nũcupatorum festorum obseruationis ordo subsequitur.et est talis.

Primo.

Circuncisionis domini.per totam diez
Epiphanie domini.per totam diem.
Sãctor fabiani et sebastiani martir.per totã diem.
Sancti Vincẽtii.ad deuotionem.
Conuersionis sancti pauli.ad deuotionez.
Purificationis sacratissime Virginis genitricis dei marie.per totam diem.
Sancti mathie apostoli.ad deuotionem.
Annunciationis dominice.per totã diez.
Sacri paſche cũ duabus immediate sequentibus feriis: lune et martis.per totã diez
Mercurii post paſcha.ad deuotionez.
Sancti marci euangeliste Vsqz post missam parrochialem cuz processione.
Sãctor philippi et iacobi apostolor.per totã diez.
Inuentionis sancte crucis.ad deuotionez.
Ascensionis domini.per totã diez.
Pentecostes cuz duabus:lune et martis immediate se-

quentibus festis.per totam diez.
Mercurii post penthecostez.ad deuotionez.
Jouis in solennitate eucharistie sacramenti.per totā die
Sancti barnabe apostoli.ad deuotionez.
Natiuitatis sancti iohannis baptiste.per totū diez.
Sāctoz apostoloz petri et pauli per totū diez.
Beate marie magdalenes.per totā diez
Sancti iacobi apostoli.per totū diez.
Sancte anne matris genitricis dei marie.ad deuotionez
Inuentiōis reliquiarū beatissimi prothomartiris stepha
ni.per totā diez.
Sancti laurentii martiris.per totaz diez.
Assumptionis sacratissime Virginis genitricis dei ma-
rie.per totā diez.
Sancti bartholomei apostoli.ad deuotionez.
Decollationis sancti iohānis baptiste.ad deuotionem.
Sancti fiacrii confessoris.ad deuotionez.
Natiuitatis sacratissime Virginis genitricis dei marie.
per totā diez.
Sancti mathei apostoli ⁊ euangeliste.per totā diez.
Beati archangeli michaelis.ad deuotionez.
Sāctoz martirū dionisii et eius socioz.per totā diez.
Beati sanctini meldeñ epi ⁊ cōfessoris.ad deuotionem.
Sancti luce euangeliste.ad deuotionez.
Sancte Virginis celinie.ad deuotionez.
Sāctoz apostoloz simonis ⁊ iude.per totā diez.
Omniuz sanctoz.per totā diez.
Cōmemorationes defunctorū.per totū diem.
Sancti martini hyemalis turoneñ.archiepiscopi. per to-
tam diem.
Sancte katherine Virginis ⁊ martiris.ad deuotionem.
Sancti andree apostoli.per totam diem.

Sancti eligii hyemalis. Ad deuotionem.
Sancti nicolay hyemalis. Per totam diem.
Cōceptionis sacratissime Virginis genitricis dei marie. Per totam diem.
Sancti thome apostoli. Ad deuotionem.
Natiuitatis domini. Per totam diem.
Beatissimi pthomartiris stephani. Per totam diem.
Sancti iohannis euāgeliste. Per totam diem.
Sanctoꝝ innocentium. Ad deuotionem.

Item Cuiusuis scti cuiuslꝫ prochialis eccl̄e patroni. Per totam diem in ip̄a parrochia. Et similiter dedicatiōis cuiuslibet parrochialis ecclesie.

De obseruatione ieiuniorum.

Nstitutū a deo in paradiso corporale ieiuniū: ⁊ postea in deserto quadraginta diebus atqꝫ noctib⁹ sctificatū: quātū ad necessitat̄ coercionis pcti: satisfactionisqꝫ in penitentia: ⁊ eleuatiōis mentis ad spūalia cadit sub p̄cepto legis nature. Determinatio aūt tp̄is ⁊ modi ieiunādi: de positiuo iure ⁊ eccl̄e precepto habet. Omnesqꝫ sane m̄tis ⁊ doli capaces (saltez supra Vicesimuꝫ primū sue etatis annū cōstituti Valentes ac ieiunare potentes) indictū ab eccl̄a sacrū hmōi ieiuniū ex cōtemptu Vel sic etiā ꝙ impediat finis ad quez tendit legislator: ⁊ absqꝫ cā rationabili frangentes mortaliter peccāt. Nꝰ si ad singulos olim per Vniuersalez eccl̄am generaliter indictoꝝ ac in iure expressoꝝ ieiunioꝝ obseruatiōem minime teneant eque ⁊ Vbiqꝫ p orbez catholici omnes: ad ea saltem singuli supradicte qualitatis incole ⁊ diocesani singularꝫ regionuꝫ puinciarꝫ ⁊ dioc̄sum sub pena peccati mortalis astringunt̄ q̄ et prout singuli ep̄i in singulis suis dioces⁊

bus iuxta rei tēporis q3 ac cuiusl3 regiōis exigentiā gene-
raliter et specialiter statuenda esse decreuerint et statue-
rīt obseruanda. Necnon ad ea q̄ antiqua diocesanaq3 seu
etiā puictalis a iure nō improbata cōsuetudo obtinuerit
fore celebranda. Eas autem res attendentes: et circa
hec solerti cura prouidentes nostri predecessores Vt(Vt-
delicet)quam et quorum predictorum in iure expressorum
ieiuniorum celebritatem in diocesi meldensi fuisset ab an
tiquo obseruatam:7 esset imposterum obseruandam mō-
strantes:nulla inde procederet ambiguitas: nulliq3 sua
temeritate impugne contrauenire liceret:sed potius etiā
introducta super hoc laudabilis consuetudo eo strictius
seruaretur et perseueraret incorrupta quo de ea eiusq3 p
eosdem predecessores approbatione scripto constaret:om
niū singulorum huiusmodi sommā ieiuniorum Vnacum cuius
lib et ipsorum celebritatis et obseruantie modo inter sua
inseruerunt synodalia statuta. Nos quoq3 eorundem no
strorum prouidentiam insequentes predecessorum. Nec-
non consuetudinem et predictorum sacras obseruantias
ieiuniorum similiter approbantes:eadē ieiunia:easdēq3 ip-
sorum obseruantias et celebritates duximus hic fore inserē
das inserendas inseriq3 fecim⁹. Ac ne infringant̄ districte
prohibuimus et prohibemus.

Primo. Sancta quadragesime ieiunia cum abstinēn
tia per ipsam totam quadragesimam ab esu carnium.
ouorum butiri.lactis .caseorum.et quorumcunq3 lacticī-
niorum.

Item omnia extra quadragesimam sequentia ieiu-
nia:cum abstinentia ab esu carnium:et non ouorum:neq3
butiri:neq3 ceterorum lacticiniorum. Quequidē ieiunia

sunt ista vidz ieiunia mercurii veneris: ⁊ sabbati quatuor temporum post penthecostem. post festuz sancte crucis et post festum sancte lucie. Item ieiunia vigiliarum natiuitatis domini. penthecostes. Assumptionis beate marie virginis. Beatorum apostolorum petri et pauli. Simonis et iude Mathei Andree. Necnon natiuitatis sancti iohannis baptiste. Sancti martiris laurentii ⁊ festiuitatis omnium sanctorum. Item ieiunia dierum sancti marci euangeliste: ac rogationū: saltem vsqz post processionem cuiuslibet eorundem dierum cum abstinentia ab esu carnium per totam diem vt in aliis pretactis vigiliis.

De ecclesiis ecclesiarumqz cimiteriis et aliis sacris locis non prophanandis.

Ecclesias. cimiteria: aliaqz sacra loca nostre diocesis iuxta sacrorum canonum: generaliumqz et prouincialium consiliorum sanctiones ⁊ statuta cupientes ab immundiciis pollutionibus ac quibusuis negociatiōibus prophanis penitus esse aliena: Choreas duci in eisdem. ludos. spectacula locos nundinas ac queuis mercata fieri iudicia processus. iudiciorumqz et processuum strepitus potissime laycorum exercerī. necnon pecorum per ea transitum permitti. Aliasqz ipas pphanari ecclesias et sacra contaminari loca: sub pena canonica. iuris auctoritate et nostra ordinaria. districte prohibemus. Edictum ab antiquo circa hoc sinodale statutum quo sub pena excommunicationis inhibetur ne quis in cimiteriis prophana construere edificia presumat in suo robore permansurum obseruandumqz fore et esse nichilominus decernentes. Vt autem predicta ab excessibus

et prophanationibus huiusmodi facilius ualeant cimiteria defendi:omnibus & singulis singularum parrochialium ecclesiarum nostre predicte diocesis prouisoribus et matricularijs precipimus statuentes quatinus singula earundem ecclesiarum cimiteria muris:seu ligneis septibus.pro cuiuslibet ipsorum ecclesiarum facultate:et commoditate locorum ambiri et circūdari faciant: eaqz amodo in futurum talibus teneant circunsepta clausuris: q̄bus eorundem cimiteriorum patefacti limites: ipsa esse sacra loca ostendant.et qui uiderint:saltem memores su pradicte nostre prohibitionis:metuqz indite pene:contra eandem nostram prohibitionem facere uereantur. Nec non antea assuetus peribi pecorum diuertatur transitus:aditusqz ferie: pecudibus et bestiis possetenus precludatur.

De decimis per laycos in suarum periculum animarum detentis: parrochialibus ecclesijs infra quarum limites excrescunt restituendis.

Ꝑ antiquorum a nostris predecessoribus melbensibus episcopis conditorum sinodalium constat tenore statutorum eosdem nostros predecessores se iuxis dispositioni conformantes prohibuisse decimas quas in nostra diocesi nonnulli layci in suarum detinuerunt et detinent hactenus periculum animarum de facto transferri in quasuis personas:etiam in monasteria et alia ecclesiastica loca(inconsulto episcopo pro tempore existente)preterq̄ in parrochiales ecclesias infra quarum parrochiarū limites decime huiusmodi excrescunt. Nos quoqz id similiter prohibemus precipientes prout per dicta antiqua statuta preceptum est omnibus et

singulis nostre diocesis ecclesiarum rectoribꝫ et aliis pres
biteris nobis subditis quatinus prefatos laycos frequen
ter exhortentur:caritatiue moneant requirant:et salubri
ter inducant:quos etiam omnes et singulos generaliter
et singulariter sic monemus. requirimus ac in domino
exhortamur: Vt decimas huiusmodi supradictarum par-
rochialium ecclesiarum presbiteris:quibus diuino iure ⁊
humano ratione diuinorum obsequiorum:et ecclesiastico
rum administrationis sacramentorum debentur)restitu
ant. Nec confidant aut se credant iidem layci sine pecca-
to mortali detinere posse pretextu cuiuscunqꝫ possessio-
nis etiam longissimi et immemorialis temporis : seu ra-
tione cuiusuis per eos pretense infeudationis:etiam a no
stris pdecessoribus meldensibus episcopis aut alias abs-
qꝫ auctoritate domini nostri pape(cui et non alteri com-
petit)quocunqꝫ modo facte:nisi ipsam infeudationem le-
gitime constiterit concessam et factam fuisse ante latera
nense cõsilium:quod Anno domini millesimo centesimo
septuagesimonono extitit celebratum . Nam si alias se
aut suos predecessores laycos(quorum causam in dictis
decimis habere pretendunt)easdem decimas Vsurpasse
seu male et iniuste detinuisse:seqꝫ adhuc (inuitis parro-
chialibus presbiteris:quibus de iure spectant Vt profert)
sacrilega manu detinere cognouerint. aut id ex crassa ⁊
supina ignorantia induratI cognoscere noluerint : sed et
ipsas decimas predictis parrochialibus presbiteris cum
effectu restituere pertinaciter contempserint : sciant se
post eorum corporalem mortem ecclesiastica sepultura
per dictum lateranense consilium priuari debere . Ac se
cum suis fautoribus(nisi Vere penituerint)iusto ⁊ equo
iudicio:iustaqꝫ censura iusti et equi iudicis:eterni scilicet
dei(de cuius domo debitum ministris temporalem cibũ

subtraverint) perpetue fami:eternisq; supplicijs foze et esse subdendos:ac eternaliter mancipandos.

De excommunicatis publicandis a euitādis. Necnon de registris super hoc per parrochiales presbiteros conficiendis et conseruandis.

Dita a nostris predecessozibus meldensibus episcopis super publicatione excōmunicatozum sinodalia approbantes statuta ac etiam quo ad aliqua innouantes districte precipimus: Vt singuli parrochiales pbiteri statim postq̄ litteras excommunicationis sup publicatione excommunicatozum denominatozum in eisdē a curia nostra emanatas sub ipsiusq; sigillo confectas ac sigillatas:necnon per scribam eiusdem curie vel aliuz ad hoc deputatum pro registro signatas receperint exequendas. Id ipis excommunicatis(si in parrochijs ipsozum presbiterozum commode valeant apprehendi)significent:eos vt suā procurent absolutionem salubziter ammonentes. Ipsosq; nichilominus(etiam si id eis personaliter et particulariter significatum non fuerit)q̄diu in hui iusmodi excommunicationis sententia permāserint euitent:atq; vt ab aliis euitētur: alta a intelligibili voce in suis ecclesijs diebus dominicis et festiuis denuncient et publicent excommunicatos. Vt sic saltem ruboze confusi ad sancte matris ecclesie gremium valeant reuocari:debitamq; ei obedientiam ac condignam satisfationem impendere cogantur quibus fuerit impendenda. Caueāt quoq; idem parrochiales et alii presbiteri ne cum excommunicatis(nisi in casibus a iure permissis)quouismodo communicare presumant potissime in diuinis. Naz presbitero in publice et nominatim excommunicati presentia scienter et spōte celebzanti:aut etiam excommunicatum ad ecclesiastica sacramenta vel ad sepulturam ad-

mittenti interdictus est ipso iure ecclesie ingressus. Irregularisqz efficitur si contra interdictum huiusmodi diuinis in ea se ingerat officiis. Preterea per constitutionez felicis recordatõis clementis pape quinti in consilio Viennensi editam: scienter sepelientes in cimiteriis cadauera excommunicatorum: publice aut etiam nominatim interdictorum sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt.

Item precipimus singulis predictis parrochialibus presbiteris quatinus registra conficiant: in quibus nomina et cognomina suorum parrochianorum excommunicatorum: et eorum ad quorum instantiaz sunt excommunicati: necnon datam litterarum excommunicatiõis huiusmodi: diemqz annum presentationis earundez sibi facte diligenter registrent. quosquidem excõmunicatos (si postea anteq̃ ad plenum absoluantur semel aut pluries Vsqz ad certum tempus seu ad certa tempora relaxari contingat) id notare dicti presbiteri et in ptactis registris conscribere non omittant. Nam termino huiusmodi relaxationis elapso) prefati relaxati in pristinam (nisi interim fuerint plenarie absoluti retruduntur excommunicationis sententiam. Suntqz Vt prius publicandi excõmunicati et ab omnibus Vt supra dicitur euitandi: donec suam obtinere meruer nt et obtinuerint absolutionem in scriptis. tunc enim eos idem presbiteri absolutos nunciabunt: et publicabunt datamqz litteraz huiusmodi absolutionis ac diem receptionis earundem similiter: Vt prefertur registrantes. antea registrataz excommunicationem de suis registris delebunt. Quibusquidem presbiteris districte inhibemus ne pro cuiuslibet littere excommunicationis registro Vltra sommam. ii. den̄. turonen̄. totidemqz pro registro aggrauationis. et similiter reag:

grauationis relaxationis ⁊ absolutionis exigere presu-
mūt. Sub hac autē infra scripta forma (mutatis mu
tandis) pretacta poterunt confici excommunicatorum
registra.

Hec sunt registra excommunicatorum in parrochia
de. M. meldeñ dioceſis publicatorum p me. M. eccleſie pro-
chialis eiusdem loci rectorem tuxta confectarum sup hoc
et michi presentatarū seriez ⁊ cōtinētiā excōmunicatōis
litterarum infra scriptis diebus et annis fideliter facta.

Primo sequitur forma registri excōmunicatōis.

Anno dñi milleſimo quadringenteſimo nonageſimo
tertio die quarta mensis septembris. presentate michi fue-
runt expequende excōmunicatōis littere a curia meldeñ
emanate: ⁊ sub eiusdē curie sigillo: ac data diei. xxvi. mē
sis augusti nouissime preteriti confecte quibus constat
M. parrochianum meum auctoritate domini officialis
meldeñ ad instantiam talis fuisse et esse excōmunicatū.

Forma registri relaxationis.

Anno dñi ⁊c. Presentate michi fuerunt expequēde re
laxationis littere a curia meldeñ emanate et sub eiusdē
curie sigillo de data diei. xv. mensis septēbris nouissime
preteriti confecte quibus constat. M. parrochianum meū
a sentētia excōmunicatiōis in eū auctoritate dñi officia-
lis meldeñ. ad instātiā talis lata fuisse et esse vsqz ad diē
primam instantis mensis octobris ~~fuisse et esse~~ eadez au-
ctoritate relaxatum.

Forma registri abso utionis.

Anno domini milleſimo ⁊c. Presentate michi fue-
runt expequende absolutōis littere a curia meldensi ema
nate et sub eius sigillo de data diei secunde mensis octo-
bris quibus constat. M. meum parrochianum a sententia

excommunicationis in eum auctoritate domini officialis meldeñ ad instantiam talis lata: fuisse et esse eadem auctoritate absolutum.

Est autem notandum q̄ eedem forme seruãde sunt in aggrauationibus et reaggrauationibus registrãdis.

Item notandum est q̄ si pretacte censure auctoritate alterius iudicis q̄ officialis meldensis late et promulgate fuerint: tunc ille alter iudex et nõ officialis meldeñ in dicto registro exprimi debet.

Item Statuimus Volumus et ordinamus. Q̄ pretacta excommunicatorum registra apud illos remanent presbiteros qui parrochialibus ecclesiis deseruient p tempore in diuinis. Eisdem presbiteris sub pena suspeñ inhibentes ne quis eorum si sue vel aliene deseruire desierit parrochiali ecclesie. predicta ipsius ecclesie registra penes se detineat aut ea quouismodo alienare p̄sumat Sed succedenti ac post eum deseruienti in eadem ecclesia presbitero et non alteri persone tradat fideliter conseruanda. Q̄ si dicta registra in alienas manus deuenire: et absq̄ dictorum presbiterorum deseruientium consensu et voluntate detineri contingat monemus exnunc prout extunc omnes et singulos huiusmodi alienos dictorum registrorum detentores quatinus sub pena excommunicationis ipa registra q̄citius poterunt prefatis tũc deseruientibus presbiteris restituant.

De spiritualis iurisditionis perturbatoribus et violatoribus ecclesiastice libertatis. Deq̄ penis et censuris in eos a iure latis.

Dy noua res: q̄ ille antiquus humani generis liuidissimus hostis nauiculam petri ortodoxaz vi-

delicet militantem ecclesiam varijs tempestatibus exa
gitat ac submergere satagit. Sed verēdū nimis q̄ plus
modernis q̄ retroactis temporibus idem subdolus eccle
sie persecutor:tot sibi cōsentaneos apostatas inuenit pa
ratissimosq̄ satellites:vt eorum multitudine vallatus
ty eam adeo seuire ausit:q̄ ipsorum insultibus constricta
sublatis ab eadem et subsidio remigii et remigantium li
bertate)inter tantas constituta procellas: iam omni spe
destitui iamq̄ comparatione priscorum tranquillitatis
temporum et antique placidioris aure) periclitari videa
tur.Hec enim eadē sanctissima virgo:christi sponsa ma
ter ecclesia(dum adhuc filiorū erga eā deumq̄ dilectio
vera maneret)et q̄diu libera eidē exhtit exercende iu
risdictionis facultas:tunc sese suosq̄ propriis spiritualib⁹
armis ab oppressoribus qui perpauci erant defendebat:
eosq̄ ty tuto recepta: et suis circunsepta ministris(reful
gente iusticia)per viam pacis incedens:subditorum sin
gulos sic clauium potestate ducebat:vt omnes sub eius
alarum protectione securi consisterent:ipsaq̄ ty eorum
quiete quiesceret:a salute gauderet. Nunc autem(insti
gante predicto seditionis perditionisq̄ autore)intantum
aduersus eam creuit impiorum sceleratorumq̄ nume
rus:et efferbuit temerariorum audacia vt ty propriaq̄ vi
st coniurasse matrem degeneres filii(si ab ea eiusq̄ mi
nistris)claues potestatēq̄ ligandi atq̄ soluēdi penit⁹ tolle
re non possint)saltem liberam tanto conamine auferre
pernituntur his vtendi facultatem: q̄ ipsis ecclesie mi
nistris ty publicos eorum oppressores:ecclesiasticeq̄ li
bertatis sacrilegos violatores defensionis brachiū non
solum non extendere:sed etiamferientibus vix oppone
re liceat a pretacte spiritualis iurisdictionis clipeo se tue
ri. Nam a iidem pissime matris ecclesie vecordes aduer

fatii ecclesiasticas (eyosas quidem eis) sed deo dicatas ac diuino cultui daputatas (personas in foro laycali etiã personaliter (contra ius fasqz conuenire tractare: condẽnare. Dnera insuper eis imponere pecunias eytorquere ab eisdem de rebus ecclesiasticis ac spiritualibꝫ disponere. et ecclesiasticas infringere libertates. Necnõ de cansis criminibus et delictis quorum cognitio punitio ⁊ correctio ad ecclesiasticum forum spectant cognoscere: iudicare et alias ecclesiasticam perturbare iurisditionem presumunt: ac totis contendunt conatibus eneruare eaqz fieri procurãt. et quos laycalibus carceribus clericos detinuerint Vel fecerint detineri mancipatos: ecclesiastico iudici id legitime requirenti restituere recusant. Qui si quãdo per ipsum iudicez Vel eius auctoritate pro premissis aut aliis quibusuis causis et per eos patratis sceleribꝫ (quorum cognitio et correctio ad eum Vt premittitur pertinẽt) citati moniti Ve eytiterint aut etiam contumaces ecclesiastica percussi censura tunc in sua malicia perdurãtes spretis censuris contemptisqz clauibus in ecclesiasticas ferocius insiliunt personas easqz nõnunꝗ carceribus cõuiciis Verberibus molestiis ac infandis afficiunt contumelijs. talibus quoqz Violentijs et aliis exorbitantibus Vijs ad contumacibus et pertinacibus iuste excommunicatis impendendum absolutionem (si nõ libere data sed Vi eytorta absolutio dici debeat) inuitos et pro sua iustitia frustra decertantes ecclesiasticos iudices cõpellunt.

Nos Vero iohãnes epc̃s p̃fatꝰ tãtos clauiũ cõtẽptus iniũrãtẽqz excõsequẽti spũalis iurisditiõis subuersionem ac ecclãstice libertatis (excidiũ tãtaqz discrimina ⁊ nrõꝝ pricula subditorꝝ (nõ sine cordis amaritudie) cõspiciẽtes: necnõ ad puersorꝝ correctõez p̃dictorꝝ cognoscẽtes nos incassum hactenꝰ laborasse nichilqz de eorꝝ emẽdatõe (nisi desuper

datū fuerit) Vltra ſperātes ſatiꝰ eccl̄e cāz dño nr̄o ihū xp̄o credere putauimꝰ effundereqz p̄ces Vt ip̄e ſua clementia Vel eos ad gremiū mr̄is eccl̄e Verāqz obediētiā reducere Vel certe i brachio ſue potētie ip̄az eccl̄az ſuā ſp̄ōſū ab eiſdez eorūqz oppreſſiōibꝰ Violentiis ac demōtacis infeſtatiōibꝰ prorſus liberare defendereqz ſp̄ ac reddere tutaz dignet:q̄ nos hmōi eccl̄e pſecutores ptinaces.iduratos eccl̄aſticā deridētes diſciplinū multiplicatē cē ſuraz ictibꝰ ptūdere ⁊ eos his effici durtores. Dez ne q̄ ip̄oz iuris forſan ignari eo ip̄ugne ſe p̄miſſa credāt ppetrare facinora ⁊ ad deteriora pcliuiores reddant quo nos cōtra eos impediēte laycali ptāte Vt p̄fert) ppēderint remiſſius pcedere ad Vt indictā.nōnullas inter plures circa hoc dudū a ſctis patribꝰ canonū cōditoribꝰ editas ⁊ in corpore iuris clauſas cōſtitutiōes elici fecimꝰ duximuſqz (Vt oibꝰ innoteſcāt) hic fore ſubnectēdas.qtūs prochiales pbr̄i nr̄ē dioc̄ eaz effectū i ſuis p̄ōpr̄is publice exponūt.ac ip̄az Vigore omēs ſpūalis iuriſditiōis pturbatores ⁊ eccl̄aſtice libertat̄ Violatores antedictos in generali denuncient penis et cenſuris in ip̄is conſtitutionibus expreſſis fore et eſſe ligatos. Nec propter hoc iidem perturbatores et Violatores aduerſum nos eccleſiaſticaſqz noſtre dioceſis perſonas tanq̄ eedem a nobis fuerint emanate cenſure pretendere queant occaſionem ſeuiendi. ſed potius Vereantur et ſi ſolitam ferociam ac damnabilem temeritatem non in toto deponant ſaltem fortaſſe tepeſcant a tanto dum palam nouerint penas et cenſuras huiuſmodi non noſtra ſed iuris auctoritate in eos olim exhtitiſſe promulgatas.noſqz ſolum in his meros eſſe iurium executores. Earundem autem conſtitutionum tenores ſubſequunt et tales ſunt.

Tenor edite constitutionis in consilio parienſi.

Nullus iudicum: neq; preſbiterum: neq; diaconum: aut clericum vllum aut minores eccleſie: ſine permiſſu pontificis per ſe diſtringere: aut condēnare preſumat quod ſi fecerit: ab eccleſia dei cui iniuriaz irrogare dignoſcitur: tandiu ſit ſequeſtratus: quouſq; ratum ſuuz cognoſcens emendet.

Item tenor edicte conſtitutionis in conſilio generali lugdunenſi.

Quicunq; pro eo q; in reges. principes. barones. nobiles. balliuos: vel quoſlibet miniſtros eorum aut quoſcūq; alios excommunicationis ſuſpenſionis ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata: licentiam alicui dederint occidendi capiendi: ſeu alias in perſonis aut bonis ſuis vel ſuorum grauandi eos qui tales ſententias protulerunt: ſiue quorum ſunt occaſione prolate: vel eaſdem ſententias obſeruantes ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes (niſi licentiam ipſam) reintegra (reuocauerint) vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentie ſit proceſſum: niſi bona ipſa fuerint infra octo dierum ſpacium reſtituta: aut ſatiſfactio pro ipſis impenſa: eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Eadem quoq; ſententia ſint innodati omnes qui auſi fuerint predicta licentia data vti: vel aliquid premiſſorum (ad que cōmittenda dari licentiam prohibuimus) ausi committere ſuo motu. Qui autem in eadem ſententia permanſerint duorum menſiuz ſpacio: extunc ab ea non poſſint niſi per ſedem apoſtolicam abſolutionis beneficium obtinere.

Item tenor edite conſtitutionis in conſilio lateranenſi.

Non minus et infra. In diuersis mundi partibus consules ciuitatis et rectores necnon et alii qui potestatem habere videntur: tot onera frequenter imponunt ecclesiis: vt deteriozis conditionis factum sub eis sacerdotium videatur q̄ sub pharaone fuerit: qui legis diuine noticiam non habebat. Ille quidem (omnibus aliis seruituti subactis) sacerdotes et possessiones eorum in pristina libertate dimisit: et eis alimoniam de publico administrauit. Isti vero onera sua fere vniuersa imponunt ecclesiis. et tot angariis eas affligunt: vt eis quod hieremias deplorat competere videatur. Princeps prouinciarum facta est sub tributo. Siue quidem fossata: siue expeditiones: seu alia quelibet sibi arbitrentur agenda: de bonis ecclesiarum et clericorum et pauperum christi vsibus deputatis volunt fere cuncta compleri. Iurisdictionem etiam et auctoritatem prelatorum ita euacuant vt nichil potestatis eis in suis videatur hominibus remānsisse. Quocirca sub anathematis districtione fieri de cetero talia prohibemus (nisi episcopus et clerus tantam necessitatem vel vtilitatem inspexerint: vt absq; vlla coactione ad releuādas communes vtilitates vel necessitates (vbi laycorum non suppetunt facultates) subsidia per ecclesias estiment conferenda. Si autem consules aut alii de cetero ista commiserint: et commoniti desistere noluerint: tam ipsi q̄ fautores eorum: excommunicationi se nouerint subiacere: nec communioni reddantur donec satisfactionez fecerint competentem.

Item tenor decretalis constitutionis honorii pape tertii

Nouerit fraternitas tua. ⁊ infra. Excommunica-
mus omnes hereticos vtriusq; sexus: quocunq; nomi-
ne censeantur: et fautores ⁊ receptatores et defensores eo
rum. Necnon et qui decetero seruari fecerint statuta edi-
ta: et consuetudines introductas contra ecclesie libertatē
nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post hu
iusmodi publicationem sententie fecerint amouerit. Itez
excommunicamus statutarios. et scriptores statutoruz
ipsorum. Necnon potestates consules. rectores. et consilia
rios locorum vbi decetero huiusmodi statuta et consue-
tudines edite fuerint vel seruate. Necnon et illos qui se-
cundum ea presumpserint iudicare: vel in publicam for-
mam scribere iudicata.



Finis.